



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantivm Patroni**

**Bolland, Johannes**


**Antverpiae, 1648**

Dolor Calcvli Ope S. Liborii sedatus Ameriae an. MDCXLVII. & MDCXLIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9573**

## DOLOR CALCULI

Ope S. LIBORII *sedatus**Ameriâ an. MDCXLVII. & MDCXLIIIX.*

I.  *Eminum lubet attexere S. Liborij beneficium, ipsorum, quâ id percepere, narratione testatum; alterius etiam, quod me penes est, chirographo. Est hic Romulus Cerichellus, Centurio Amerinus, vir genere clarus cum primis & honoratus. Is ad Abbatem Carlenum, veterem amicum & consanguineum suum, Ameriâ xxv. Aprilis, MDCXLVIII. ita scribit: Octo annis graui & assiduo vesicæ con-*

*Romulus  
Cerichel-  
lus graui &  
diuturno  
calculi do-  
lore,*

*fluctatus sum morbo, vt postremis quatuor numquàm nisi ardente intra cubiculum lucernâ somnum ceperim. Vrina sæpè cruenta, fœda semper, itaque mordens, vt expellere eam, quamuis creberrimè cieretur, nequirem, quin toto corpore sudor manaret. Iam nec equo vehi, nec laborem ferre vllum, exercitationemque corporis poteram. Nulla cibi erat appetentia, virium imbecillitas summa: neque hæc quiete releuari satis poterat, cum eam identidem vrinæ cupiditas difficultasque excuteret. Illud tandem sedit animo consilium, vt excindi mihi calculum, qui indubitata horum dolorum origo esset, curarem:*

*Ro-*

Romamque eâ causâ eram ante biennium profectus: Sed absterruerunt isthic amici, negantes ei remedio opportunitam ad eum iam prouectam ætatem meam videri.

*per S. Liborij Reliquias,*

*liberatur;*

2. Dum his discrucior doloribus curisque; allatus Ameriam est cælestis ille thesaurus; abs Te, ad patriæ nostræ salutem, peregrè obtentus, S. Liborij venerabiles Reliquiæ. Has mihi admouit Episcopus noster; & pij quidam homines pro meâ incolumitate preces vota que concepere. Post solemnem supplicationem Maio superiore institutam, quâ sacræ translatae reliquiæ sunt, quando S. Liborij opem quanto potui sensu pietatis implorauit; nihil ad hanc usque diem pristini doloris expertus sum; ac modò per commodâ vtor valetudine: ob quam immensas Deo laudes, sancto que eius Confessori Liborio debeo; Tibique grates, Illustriss. Domine, cuius studio hunc adepti thesaurum sumus. *Ista Romulus.*

*& Ioannes Clementinus*

3. Ioannes Clementinus, & ipse Nobilis Amerinus, inq; militiâ Pontificiâ turmæ equitum ductor, cum hoc anno MDCXLVIII. sub initium veris, acutissimis calculi doloribus vrgeretur, humanis omnibus remedijs frustra tentatis, ad cælestia animum vertit, ac feruenter S. Liborium precatus, ad Augustinum Carlenum, summæ adis Canonicum, è domesticis quempiam allegat, qui ad se mitti oret eius Diui imaginem, impressam in rubrâ bysso, quâ inuoluta Reliquiæ fuerant, cum Monasterio Ameriam

riam apportarentur. Hanc ad se allatam effigiem per imagi-  
summâ reuerentiâ & pietate accepit: vixq̄ tantillo nem, sacra-  
elapso spatio quo bis posset Psalmus Miserere per- zam Reli-  
curri, duos eiecit prægrandes calculos, absque vllò pla- quiarum  
nè doloris sensu. Mox è lecto surrexit sanus ac hila- contactu.  
ris, templum adiit, vulgavit ipsemet totâ vrbe mi-  
raculum. ita enim acceptum calitus beneficium  
vocat.

4. Euentum hoc vtrumque, quia necdum mihi PROTE-  
constat an sit Ecclesie auctoritate probatum, non ali- STATIO  
ter hîc recito, quàm vt duorum nobilium & gra- Auctoris.  
uium virorum testimonium, qui se agritudinis alle-  
uamentum & suppliciter petÿsse à S. Liborio, &  
impetrasse profitentur: neutiquam, quod V R B A-  
NI VIII. Pontf. Max. decretis vetitum est, vt verum  
miraculum prædico: donec ita fuerit, re discussâ, ab  
ijs quorum id munus est, pronuntiatum. Quæ cautio  
in ceteris quoque vt valeat, postulo, si quæ hoc libello  
tradantur noua, nec adhuc legitimè examinata &  
approbata, S. Liborij beneficia; vt tantisper non-  
nisi humane historie fidem pondusque obtineant. At  
neque dum aliena profero scripta, si cuiquam digna-  
tionis honorisve titulus tribuitur, qui censeatur haud  
conuenire, id mihi imputari æquum est. Quod enim  
ipse nullâ ratione affirmo, eius in me deriuari, si qua  
erit, inuidia non debet.

M H Y M N I